

est eam Constitutionem latam fuisse super ritibus *Italo Graecorum*: secundo constantem disciplinam omnium Ecclesiarum esse, ut non ultra hebdomadam hujusmodi fiat renovatio. Habemus etiam S. R. C. decretum in *Conchen. 3. Septembris 1662*, quo idipsum praecipitur: *In renovatione, quae quolibet octavo die fieri debet de Augustissimo Eucharistiae Sacramento, consumi debet tum Hostia tum etiam particulae, quae existunt in Tabernaculo post sumptionem Sanguinis ante purificationem etc.* Quod si ad quindecim dies protrahatur renovatio, non id reprobandum culpaeque vertendum, quia hoc intra breve tempus haud formido, quod sacrae species corrumpantur. Secus nec Clemens VIII. tempus hoc pro Italo-Graecis determinasset.

Ex his, quae hactenus sunt disputata, recta consequitur, quod si non licet renovationem Sacramenti ultra octo vel ad summum ultra quindecim dies deferre, multo minus fas erit permissos transgredi terminos et Fidelibus distribuere particulas a sex vel tribus mensibus consecratas. S. Concilium Turonense supralaudatum voluit ut de tertio in tertium diem Hostiae renovatio fieret, ne diutius asservata mucida evaderet; quomodo ferendum erit, ut particulae reconditae maneant ad longissimum tempus trium vel etiam sex mensium, intra quod non solum timenda, sed forte etiam jam inducta censenda erit specierum alteratio et corruptio? Omnino igitur proscribenda et damnanda erat consuetudo, de qua in dubio, et jubendum Parochis Civitatis et Dioecesis Gandavensis, ut eliminata corruptela ad Ritualis Romani rubricas sese omnino conforment, veluti S. R. C. omnino faciendum praeceptive decrevit.

Si illicitum est Parochis et Rectoribus Ecclesiarum Dioecesis Gandavensis reservare particulas pro Communionem

ad tres usque vel etiam, quod magis est, ad sex menses ob gravissimam illam rationem, quod infra tam longum tempus potuerint corrumpi, licet, non alterato colore et externa superficie, integrae videantur, quod non nisi fallaci sensu visus percipitur, cui proinde fidendum non est; quum inducta corruptio sit, quin oculis pateat, haud poterunt Sacerdotes hoc non ignorantibus (ut praesens dubium supponit) easdem sacram Communionem refici petentibus distribuere. Eadem quippe militat pro utrisque ratio. Nam si, ut in praecedenti responso declaratum fuit, damnanda est consuetudo ad longum et ultra praefinitum tempus reservare particulas, nemini consequenter fas erit easdem Hostias ac particulas tamdiu reservatas ad Fidelium Communionem adhibere. Igitur vel Parochus vel Rector ille sit, qui communicat vel extraneus Sacerdos, qui ad Ecclesiam celebraturus accedit, haud potest id facere, quod ex intrinseca causa damnatum est et substantialiter praeceptivis ac omnino servandis rubricis, apostolicis Constitutionibus decretisque S. R. C. opponitur, quibus districte praecipitur, ne ultra octo vel ad summum quindecim dies renovatio Sacramenti protrahatur, ne periculum immineat vel sit distribuendi particulas jam corruptas. Neque vero in re tam gravi licitum vel illicitum ullo modo pendere potest ab approbatione vel improbatione, consensu aut dissensu Rectorum et Parochorum. Non enim agitur de re, quae uno alterove modo fieri possit, sed de Eucharistiae distributione, quae non amplius adest sed adesse cessat sub speciebus, quae corruptionem subierint. Ac propterea non expectanda certa inceptae corruptionis signa, sed ad avertendum malum satis est periculum; ideo determinatum est tempus faciendae renovationis. Igitur responso data ad

praecedens dubium afficit aequae Rectores et Parochos, ut etiam Sacerdotes, qui non ignorant pravam et Rubricis contrariam consuetudinem, quae viget in Dioecesis Gandavensis Ecclesiis. Si s. Congreg. mandatis neglectis (quod absit, ut futurum credam) aliquis sit ex iisdem Rectoribus et Parochis vel Sacerdotibus, qui adhuc in retinenda reprobata ac damnata consuetudine persistere velit, sciat gravi reatu fieri obnoxium. Quod enim est intrinsece illicitum, nullo modo, nullo sub praetextu, nullo colorato motivo licitum evadere potest.

SS. Sacramentum, quod pro Infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur. Non asservetur idem SSmum toto anno; si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

*Epist. Bened. XIV. ad Italo-Graecos presbyt.*

Die 26. Maii 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 97); vid. *Ritus Graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Al-latae* §. 28.)

*Ad dub.*: An stricto et rigore obliget rubrica Caeremonialis Episcoporum praecipiens, ut tum SS. Eucharistia in tabernaculo tum aqua benedicta ad fores ecclesiae in apposito vase servata qualibet hebdomada renovetur?

S. C. resp.: Quoad SS. Eucharistiam et illius hebdomadalem renovationem, affirmative; quoad aquam benedictam optandum ut servetur laudabilis consuetudo.

Die 7. Septbr. 1850 ad 5.

*Ex decret. Conc. prov. Viennens. die 9. Nov. 1858.*

Particulae consecratae toties renoventur, quoties pro locorum conditione

necessarium sit, ut omne corruptionis periculum sollicito avertatur. De regula renovatio alternis saltem fiat hebdomadibus, nullibi tamen ultra mensem differatur.

Hostiae sint ex tritici farina et aqua naturali confectae, macularum expertes, recentes. (Tit. III. cap. V.)

*Ex decret. Conc. prov. Pragense. die 23. Septbr. 1860.*

In tabulis (in Sacristia servandis) renovationes SS. Eucharistiae sedulo descriptae sint. Meminerint autem ecclesiarum rectores, SS. Sacramentum bis omnino per singulos menses esse renovandum. (Tit. V. cap. VIII. de Sacristia.)

### XXXV. Repositio.

(Modus.)

Vd.: SS. Sacram. expositio (modus); Repositio SS.; Dominus vobiscum.

*Ad dub. 1.*: Quum juxta S. R. C. 16. Junii 1663 in Granaten. ad dubium VII., 28. Sept. 1675 in Salernitana et 3. Martii 1761 in Aquen. omittendus sit versiculus: *Dominus vobiscum* ante orationem: Deus qui nobis etc. in reponendo SSmo Sacramento post ejusdem expositionem, quaeritur: an omitti quoque debeat ante orationem post reditum processionis a communione infirmorum?

2. Juxta decreta S. R. C. 14. Junii 1687 in Sarzanen et 10. Septbr. 1718 in Catanien. in repositione SSmi Sacramenti oratio: *Deus qui nobis etc.* determinanda est cum conclusione brevi: quaeritur: an pariter sub conclusione brevi terminanda sit hujusmodi oratio post reditum a communione infirmorum et post administrationem in Ecclesia SS. Eucharistiae?

S. C. resp. ad 1: Servandum omnino Rituale praescriptum;

ad 2: Ut ad proximum.

Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59 p. 224.)

### XXXVI. Signum sensibile externum

Confratern. SS. Sacram.

*Pius PP. VII.*

*V. Episcopo Giennensi.*

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres Congregationis seu sodalitates sub titulo SS. Sacramenti in parochiali ecclesia s. Petri villae di Torre de Ximeno nuncupatae istius Giennensis Dioecesis, canonice, prout asseritur, erectae, multum sodalitati praedictae fore adjumenti ad divinum cultum promovendum devotionemque confovendam, si praedictis exponentibus in sacris peragendis functionibus ecclesiasticis *signum sensibile eucharistici Sacramenti, figuram hostiae calici superpositae exhibens, in habitu sodali* vel depictum vel opere phrygio distinctum gestare posse concederetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur dictos exponentes ac singulares eorum personas specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter correctis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis et si id in Domino expedire censueris, praesentibus et pro tempore existentibus confratribus Congregationis seu sodalitates praedictae, ut ipsi in omnibus et singulis functionibus ecclesiasticis ac actibus publicis ejusdem confraternitatis sig-

num superius descriptum *in sinistra vel dextra parte pectoris supra habitum sodalem* prius a te recognoscendum gestare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica indulgeas atque concedas; illosque desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernes.

Datum Romae die 26. Junii 1821.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 417.)

### XXXVII. Thurificatio.

Vd.: *Incensatio SSmi.*

#### a) *Ad Benedictus.*

Vd.: *Instr. Clem. §. XXXI. n. 23 etc.; Incens. SSmi* (ad bened.)

*Ad dub.:* In Expos. SSmi, dum a Sacerdote benedictio fidelibus imperitur, licet neene thuriferario incensare SSmum?

S. C. resp.: Non praescribi et servandam consuetudinem locorum.

Die 7. Septbr. 1861.

#### b) *Ad Elevationem.*

Caeremoniarum seu aliquis Acolythus, imposito a se ipso vel ab alio thure *absque benedictione* in thuribulum, thurificat Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, dum elevatur, ter pro unoquoque ducens thuribulum. *Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 70.* Subdiaconus ad elevationem imposito per aliquem Acolythum thure thurificabit *in missa def. SSmum* genuflexus in cornu Epistolae. *Ibid. c. XI. n. 8 cf. Instr. Clem. §. XXXI. n. 23.*

#### c) *In tabernaculo inclusi.*

Vd.: *Thurif. SS. Sacram.; Thurific. altarium. Incensatio.*

### XXVIII. Translatio ex Ecclesia polluta.

Vd.: *Profanatio eccles. (adestne, decr. diei 9. Juni 1714 Amalph.)*

### XXXIX. Visitatio.

Vd.: *Visit. SS. Sacram.*

### SACRARIUM.

Ecclesia in tres partes seu mansiones distribuitur. Prima pars seu mansio est ea, quae prope Altare majus constituitur et solet concellis includi, et appellatur Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum. Secunda pars est Chorus; tertia et reliqua pars est illa, quae Navis appellatur. Prima pars, quae appellatur Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum, est ea mansio, quae ab Altari majori vergit versus Ecclesiam. Et appellatur Presbyterium seu Diaconium, quia ibi sunt Presbyteri, quibus Diaconus et Subdiaconus Sacra peragentibus ministrant; cap. 1. *de vita et honestate Clericor.* verb.: Sed illa pars; *Lotter* de re benefic. lib. 1. q. 13. a num. 18., et appellatur nobilior pars Ecclesiae, quia denotat vitam contemplativam, *Coccin.* decis. 142. num. 1. Licet alias omne Deo consecratum largo modo Sanctum Sanctorum appellatur, cap.: *Nulli* 3. caus. 12. quaest. 2., *Zabar.* cons. 14. in princip., *Francez* de Eccles. Cathedral. c. 5. num. 38 Sacrarium dicitur, quia in talem locum seu partem non licere ingredi nisi Ministris sacris fuit decretum in Concil. Agathens. can. 65., ibi: „Non oportet non sacros Ministros in Sacrarium, quod Graeci Diaconium appellant, ingredi, et in Concil. Laodicensi cap. 19. ibi: Solis autem Ministerio sacro deditis liceat ad Altare ingredi, et in eo communicare.“ Unde non sacros homines ibidem sacra vasa contingere non posse fuit statutum tot. tit. de conse-

crat. dist. 1. juncta Glossa in c. 1. verb.: *Sed pars illa*, de vit. et honestat. Clericor.

### SS. SACRIFICIUM MISSAE.

Vd.: *Missae.*

*Utrum liceat in Parasceve missas priv. celebr.?* Vd. *SS. Sacram.* (Distrib. in Parasc.); *Sabbat. s.* (missa priv.)

### SACRISTA.

Vd. *Mundit. Eccles.; Laic.* (quomodo etc.); *Scoparius.*

#### 1) Electio, Munus.

Officium Sacristae in singulis ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis per necessarium est, idcirco in Sacristam eligendus est, qui ad hujusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus merito censi possit. Assumendus autem est de gremio ipsius ecclesiae vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in sacerdotali ordine sit constitutus, et cui praesto esse debent alii clerici coadjutores plures vel pauciores pro Ecclesiae necessitate et facultatibus. Ejus praecipua cura erit, ut Paramenta, sacra vasa, libri, cerei, ornamenta instrumentaque pro usu Ecclesiae et altarium ac reliqua praeterea suppellex ecclesiastica sana, integra et munda conserventur; eaque cum attrita aut lacera erunt, renovari aptarique procuret. Sed imprimis (ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri) diligentissime curabit, ut ea, quae ad Sacrosanctae Eucharistiae cultum et honorem spectant, nitide conserventur locusque seu tabernaculum, ubi custoditur, diligentissime et fidis clavibus obseretur; Lampades circa illam perpetuo ardeant; illaeque saltem semel in hebdomada mutentur et renoventur; ad infirmos debita cum reverentia et honore deferatur. Circa fontem pariter baptismalem et sacri